

morem, aequitatem dividat. Formas qui putat idem esse, quod partes, confundit artem, et similitudine quadam turbatus, non satis acute, quae sunt discernenda, distinguit.

Top. VIII. Partitione sic utendum est, nullam ut partem relinquant: ut si partiri velis tutelam, inscienter facias, si ullam praetermittas. At si stipulationum aut iudiciorum formulas partiare, non est vitiosum, in re infinita praetermittere aliquid. Quod idem in divisione vitiosum est. Formarum enim certus est numerus, quae cuique generi subjiciantur: partium distributio saepe est infinitior, tamquam rivorum a fonte deductio. Itaque in oratoriis artibus, quaestionis genere proposito, quot ejus formae sint, subjungitur absolute. At quum de ornamentis verborum sententiarumque praecipitur, quae vocantur *σχήματα*, non fit idem. Res est enim infinitior; ut ex hoc quoque intelligatur, quid velimus inter partitionem et divisionem interesse. Quamquam enim vocabula prope idem valere videantur: tamen quia res differant, nomina rerum distare voluerunt.

Rhetor. I. 22, 23. — Quae partitio rerum distributam continet expositionem, haec habere debet breviter, absolute, pauciter. *Brevitas* est, quum nisi necessarium, nullum assumitur verbum. Haec in hoc genere idcirco utilis est, quod rebus ipsis et partibus causae, non verbis, neque extraneis ornamentis animus auditoris tenendus est. *Absolute* est, per quam omnia, quae incidunt in causam, genera, de quibus dicendum est, amplectimur partitione. In quo videndum est, ne aut aliquod genus utile relinquantur, aut sero extra partitionem, id quod vitiosissimum ac turpissimum est, inferatur. *Paucitas* in partitione servatur, si genera ipsa rerum ponuntur, neque permixte cum partibus implicentur. Nam *genus* est, quod plures partes amplectitur, ut animal. *Pars* est, quae subest generi, ut equus. Sed saepe eadem res alii genus, alii pars est. Nam homo, animali pars est; Thebanis aut Trojanis, genus. Haec ideo diligentius inducitur